



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ivan Conf. 24. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

perantis XV. viam CHRISTO munire exorsus, non tam verbis, quàm vitâ ad pœnitentiam scelerum hortatus mortales, animorum lavacro initium dedit, quod ipsum Servator sanctiùs tactu suo reddidit. Hunc ille itaque mundo Agnum ostentare, ad hunc è scholâ suâ discipulos rectiùs erudiendos amittere, & jam indignum se putare ad cuius vel ultimum servitium descenderet. Sed nimirum se ipso major, sacris etiam vaticibus omnibus prælatus, & secundus à CHRISTO ab ipso met CHRISTO est proclamatus. Et tamen tam charum celo caput Herodes saltatriculæ filia pedibus donavit, & crudelibus oculis pascendis mensæ etiam inferri voluit. Itaque tunc, si unquam aliàs, lautè cœnavit gula. Quæ enim mensa tam nobile caput habuit? *Ex Hist. Evang.*

S. IVAN CONF. 24. Iunii.

MInus multi à celo aberrarent, si duccem bonum Angelum suum sequerentur. Secutus hunc præeuntem IVAN Regis Dalmatiæ filius, ne salutatis quidè parentibus, anno LVII. supra DCCC. in Bohemiæ silvas venit, & in his speluncam patriæ aula antehabuit. Cum vero locum eum infestum à malis dæmonibus deserere pararet, obvius CHRISTI Prodromus Ioannes cedenti animos addidit, & cruce datâ armavit.

Hac

Hæc itaque signa ubi iterum in hostem vertit, victoriam illi eripuit, & quia maternas delicias aspernatus erat, nutricem DEVS cervam submitit, à cuius lacte, & ambrosiâ cælo depluente satur, facile ex animo matris ubera delevit. Cæterum in pias latebras tandem Borivojus Bohemorum Dux devenit, ducem cervam, quam diximus, secutus, telo trajectam. Multum igitur lætus tam felici venatione, hortatu Ludmillæ conjugis lectissimæ matronæ, Tetinam arcem suam abduxit IVANEM. Sed hic exosus aulas, non multo post in spelæum suum iterum cõcessit, ubi posteaquam annos II, & XL. egit, tandem lubens aliquando exivit ad aulam, sed cælestem illam, & in quâ nulli magis, quàm silvicolarum istiusmodi mores probantur. *Ex Nicolao Salio.*

S. GALLICANVS M. 25. Junii.

GALLICANI Victorias de Persis Scythisque; relatas admirandi, illam, quâ seipsum triumphavit, imitandi jus esto. Eo gloriæ venerat, ut Constantiæ conjugium præmium militiæ poscenti Constantinus pater negare nihil sit ausus, modò Scythas Romanis finibus eiecisset. In eo dum est, milites panico percussu metu, magnam partem dilapsi infrequentia signa reliquere. Anxio eâ re Gallicano Ioannes & Paulus Constantiæ

Z

stantiæ